

lis adpectu latuit.

Nunc ad vos, fratres. Si ea divina gratiæ & caritatis virtus est, ut non modo divina legis onera, sed immania etiam tyrannorum tormenta alacri & invicto animo perferre valeat; quam, quæso, nos ante superni judicis tribunal excusationem obtendere poterimus, quum aperte videamus, ejusdem naturæ confortes tanto majora onera, divina gratiæ ope adjutos, pertulisse, quam quæ a nobis exiguntur? Hæc igitur a nobis hodie in beato N. virtutis & constantiæ exempla proponuntur; quæ ut improbis omnem excusationis ansam adimunt, ita piis acres ad virtutem & pietatem stimulos addunt. Itaque, fratres, non solum divinæ legis asperitatem animadvertere deberis, sed ulterius progressi, considerare, perditorum hominum vitam longe majoribus curis & molestiis esse implicitam: piorum autem, præterquam quod minus molesta est, hæc etiam adjumenta, quæ sunt a nobis proposita, habere. Adjuvat enim nos primum meriti magnitudo, quod strenue laborantibus propositum est. Adjuvat corona cælestis, quæ justitiæ & integri-

ti in cælo proposita est. Adjuvat paracletus Spiritus, qui fidelium corda, ne laboribus fracti deficient in via, miris reficit gaudiis atque delitiis. Adjuvat postremo insuperabilis divina gratiæ virtus, quæ ita apostolorum & martyrum mentes munivit, ut eorum omnium sit illa vox: (a) *quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* His igitur adjumentis confirmati, fratres, animum resumamus, & ad divinorum præceptorum obedientiam alacriter accingamur. Nulla nos mundi adversitas, nulla carnis voluptas, nulla terreni lucri cupiditas, nulla popularis auræ vanitas, nulla pravorum hominum exempla, nulla consilia, nullæ ipsorum sive injuriæ, sive contumeliæ; nihil denique in vita sit, quod nos a contento pietatis & justitiæ cursu retardare possit; sed his omnibus impedimentis atque hostibus superatis, per semitas justitiæ gradiamur, ut sic tandem sempiternæ justitiæ coronam cum eisdem martyribus, ab imperatore nostro promissam,

(a) Rom. 8. 35.

sam, percipere mereamur: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Patre, & Spiritu sancto lorum. Amen.



IN FESTO SANCTORUM MARTYRUM CONCIO SECUNDA,

DE FIDEI VERITATE: IN QUA DUO clarissima ejus testimonia & firmamenta tractantur: alterum, mundi conversio, quæ sine miraculis esse non potuit: alterum, divinæ gratiæ virtus, quæ internæ pacis & tranquillitatis beneficio miro modo ejusdem fidei veritatem confirmat.

THE. Hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

I. Joan. V. 4.

*** Nter ea, quæ ad vitam hominum optimis institutis moderandam adjuvant, tantum recte vivendi exempla conferunt, ut sempiterni Patris Filius sub imaginis humanæ specie terras lustrare, & inter homines versari dignatus fuerit: non solum ut eos redimeret, sed etiam ut se ipsum absolutissimum virtutum omnium exemplar exhiberet. Ut enim Lactantius ait: *homines*

malunt exempla, quam verba; quia loqui facile, præstare difficile. Hac igitur de causa ecclesia, de communi semper omnium salute sollicita, quæ nullum non movet lapidem, quo nos ad virtutis & pietatis studium impellat, tam multa & varia sanctorum festa singulis præne diebus celebranda proponit, non solum ut eorum precibus & intercessione infirmitas nostra juvetur, sed etiam ut clarissimis virtutum eorum

rum exemplis languor & tepiditas nostra accendatur. Quamvis autem spiritus ille caelestis, qui totius sanctitatis & justitiae architectus & magister est, sanctos omnes, quasi vas auri solidum, cunctis virtutum gemmis ornaverit; in aliis tamen alias atque alias virtutum laudes magis extulit & amplificavit. Sic commendamus in sanctis patriarchis obedientiam, in prophetis rerum divinarum scientiam, in apostolis caritatem, in martyribus fidem, in confessoribus devotionem, in sanctis monachis & anachoretis mirabilem abstinenciam, & divinarum rerum contemplationem, in virginibus illibatum virginei pudoris florem, & in sanctis viduis sobrietatem & continentiam. Quum his igitur divinis coloribus summus ille artifex polymitam ecclesiae vestem distinxerit; prudentissime nobiscum eadem agit ecclesia, quae, tot sanctorum festis propositis, vestem suam deauratam, mira virtutum varietate contextam, nobis quotidie spectandam proponit: quo inter tot pretiosa virtutum monilia aliquid vitae nostrae instituendae commodum & salutare inveniamus. Quum igitur hodie beatissimi N. martyris festum

diem celebremus; in sanctis autem martyribus inconcussam fidei firmitatem praecipue commendemus: de hac hodie dicturi, caelestem opem, sacratissimae Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Erunt fortasse, qui hoc argumenti genus, quo de fidei veritate tractare decernimus, minime necessarium firmiter jam credentibus dicant. At quum multos passim, proh dolor! reperire liceat, qui ita credunt, quasi non crederent; qui videlicet ita vivunt, ac si nullam providentiam, nullumque apud Deum bonorum malorumque discrimen esse arbitrentur: de fidei veritate atque dignitate apud hos saepe dicere necesse est; his praesertim infelicissimis temporibus, in quibus tam multa fidei naufragia lamentamur. Hos igitur, tamquam infirmos in fide, necesse est, ut, juxta Apostoli praecipuum, assumamus, & non modo ipsius fidei auctoritate, sed etiam a pertissimis divinorum operum argumentis convincamus: si forte apud quos fidei auctoritas minus valet, rationis vis & efficacia valere possit. Nec ad hos modo, sed ad eos etiam, qui pie in Christo vivunt, hu-

jus

jus argumenti tractatio perquam utilis est. Quum enim fides, ut Apostolus docet, (a) totius spiritualis vitae radix & fundamentum sit; ea utique nobis assidua cura, & vigilantissimo studio colenda & roboranda est. Sic enim videmus, horum cultores omnem operam suam in excolenda arborum radice ponere: hanc enim frequentibus aquis irrigant, fimo injecto fovent, terram, cui innixa est, molliunt, quo ad imas radices pervius sit Solis, pluviae, aëris, & calorum influxus. Hoc enim diligenter proviso, beneficium in unam radicem collatum, in omnes arboris ramos fructusque redundat. Quum ergo fides non modo justificationis nostrae, sed totius quoque spiritualis vitae, ceterarumque virtutum radix & fundamentum sit; omnem operam nostram in hac virtute excolenda, fovenda, roboranda, & divinorum operum miraculis confirmanda collocare debemus, quo radice solidata, maximos in ceteris virtutibus, velut in ramis ab hac radice prodeuntibus, processus faciamus. Hac enim ratione Apostolus (b) christiani hominis profectum atque justi-

tiam ex fide in fidem esse testatur: quia videlicet ad profectum vigentis & inflammatae fidei, ceterae quoque virtutes assidua capiunt incrementa.

Quamvis autem fidei nostrae veritas a divini spiritus lumine magis quam ab humanae rationis argumentis pendeat; sunt tamen adeo multa & magna argumenta, quae illam confirmant, ut merito propheta dixerit: (c) *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Non enim solum fidei lumen, sed humanae quoque rationis lumen, miro modo huic veritati adstipulatur. Unde non immerito illa Richardi sententia commendatur: *utinam attendere vellent Judaei & Gentiles. Vere enim tam multa & magna sunt, quae nos ad credendum impellunt, ut dicere Domino possimus: Domine, si decepti sumus, a te decepti sumus*.

Sed quum tam multa sint, quae fidei nostrae veritatem confirment, duo tamen sunt ejus praecipua testimonia: quorum altero exterius, altero interiorius ejus veritatem hominibus Dominus in mundum invexit. Exterius enim per clarissima miracula; interiorius vero per magnificentissima divi-

nae

(a) Rom. 3. 22. (b) Rom. 1. 17. (c) Psalm. 92. 5.

næ gratiæ opera, quæ in piorum mentibus operatus est, ejus veritatem confirmavit. De his igitur duobus fidei nostræ testimoniis mihi hodie, adspirante divina gratia, differendum est.

Pars prior.

§. I.

Et quidem miracula, ut D. Thomas ait, catholicæ fidei veritatem plenissime confirmant; utpote divinæ potentiæ opera, in testimonium catholicæ veritatis edita, quæ nec fallere quemquam, nec ipsa falli potest. Non defuisse autem miracula in fidei prædicatione, præter sacrarum litterarum testimonia, ex eo sancti patres colligunt, quod nullo modo homines induci potuissent, ut verum hominem, humili & paupere matre natum, ignominiosoque cum facinorosis hominibus supplicio crucis affectum, verum Deum esse crederent, nisi clarissimis miraculorum operibus ad hoc credendum impellerentur. Adde non solum matris, sed etiam patris, cujus illi filium esse putabant, humilitatem. Ait enim Lucas, (a) ipsum communi hominum judicio Josephi, hoc est, fabri filium creditum vulgo

fuisse. Quid enim aliud crederent, qui dominicæ incarnationis sacramentum, ipsis etiam cælestibus virtutibus admirandum, prorsus ignorabant? Qua ergo ratione, nisi apertissima miraculorum testimonia intercessissent, fabri filium, qui securi & ferra victum sibi parabat, Deum omnipotentem, & rerum omnium cælestium atque terrestrium conditorem & moderatorem esse, homines crederent? Hac enim ratione, ut Nicephorus (b) scribit, Varanes Persarum rex atrocissime christianos insectabatur, insanire illos asserens, quod fabri filium omnipotentem Deum esse crederent. Inter alios vero nobilissimum quemdam virum, Achemenidem nomine, damnavit; quem opibus atque omni dignitate privatum, nudum, & subligari tantum præcinctum, aulici comitatus camelos ducere jussit. Perpauci intercessere dies, quum rex, ex superiore porticu prospectans, præclarum illum virum, æstu Solis adustum, & pulvere oblitum vidit: & patris ejus gloriam in mentem revocans, eum reduxit, & linea tunica vestivit. Et quum labore & ærumna illum confectum, faciliorem

jam

(a) *Luc. 3. 23* (b) *Nicephor. lib. XIX. cap. 20.*

jam & propensorem ad gratiam a se ineundam fore putaret: *vel nunc tandem*, inquit, *errore priore repulso, fabri filium ex animo tuo ejice*. Atque ille exardescens, tunicam illam concissam abjecit, & voce magna: *si hujus*, inquit, *gratia me religionem longe optimam mutaturum putas, en manus tuum tibi ana cum impietate habe*.

Quæ quum ita sint, quid, quaeso, mirabilius, quam verum hominem, mortalitatis & naturæ nostræ consortem, fabri creditum filium, & cum facinorosis hominibus ad crucem damnatum, verum Deum, mundi opificem, & rerum omnium dominum atque gubernatorem esse credere? Qui ergo fieri potuit, ut rem tantam homines sine miraculorum attestazione crederent? & quod est mirabilius, tanta firmitate & constantia crederent, ut non vincula, non carceres, non exilia, non rotæ, non proscriptiones bonorum, non scorpionum verbera, non discerptiones membrorum, non dentes bestiarum, non ungula fodiens, non ignis urens, non lebetes adipe atque oleo ferventes, non denique omnia tormentorum genera, quæ vel im-

manitas hominum, vel furor dæmonum excogitare potuit; postremo non omnis adversus eos orbis dimicans ab hac fidei firmitate & confessione dimovere potuerunt? (a) *Adstiterunt enim reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. Omnes enim reges terræ, omnes mundi imperatores, omnia regna terrarum, omnes omnium ordinum homines, Judæi & Gentes, philosophi & sæculi potentes, ac postremo univèrsus orbis ad hanc fidem expugnandam omnibus machinis atque tormentorum generibus una mente, unoque consilio convenerunt. Quorum rabiem atque furorẽ idem vates, fremitus nomine, designavit, quum ait: (b) *quare fremuerunt Gentes, &c.* Nihil tamen horum sanctorum martyrum fidem ulla in re aut labefactare, aut imminuere potuit.

Addam hic aliud impugnationis genus, quod sanctos martyres multo magis, ut ego quidem sentio, quam omnia tormentorum genera, nisi illis divina virtus affuisset, conturbare potuisset. Quod ut intelligatis, sciendum est, hunc

ef-

(a) *Psal. 2. 2.* (b) *Ibid. v. 1.*

esse eorum hominum, qui terrenorum bonorum spe Deum colunt, sensum atque iudicium, ut successu rerum, religionis & fidei veritatem metiantur. Hoc aperte liquet exemplo eorum, qui in libro Machabæorum se ipsos his verbis cohortati sunt: (a) *eamus & disponamus testamentum cum Gentibus: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in conspectu eorum*, &c. Sic etiam mulieres, Jeremiæ, ipsas ab idolorum cultu revocanti, responderunt: (b) „ sermonem, quem „ es loquutus ad nos in nomine Domini, non audiemus „ ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut „ sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut „ fecimus nos, & patres nostri; & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo „ autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indignimus omnibus, & gladio „ & fame consumpti sumus. „ Similique ratione Gentiles, quum res Romanorum variis calamitatibus propter barba-

rorum incursiones premerentur, hoc argumento fidei christianæ veritatem impugnabant; quod florentissimum alias Romanorum imperium, ubi religio nostra prædicari cœpta est, tot malis urgeretur. Adversus quem perfidorum hominum errorem D. Cyprianus contra Demetrianum, Salvianus contra Gentes, & D. Augustinus in libris *de civitate Dei* diligentissime scripserunt.

Ut autem perditii homines ob res adversas & incommodas religioni detrahunt: ita contra prosperis successibus eam amplectuntur & probant. Quam rem aperte in libro *Esther* (c) cernere licet. Gentiles quippe admirandam illam rerum commutationem animadvertentes, qua Judæi ad mortem, ob Aman crudelitatem, destinati, ad tantam gloriam sub Mardochei principatu subito everti fuissent, relicto idolorum cultu, ad Judæorum religionem transibant, præstantiam videlicet ac dignitatem religionis hoc tam felici successu metientes. Quæ de re exstat in *Historia tripartita* memorabile exemplum, dignissimum plane, quod hoc in loco referatur. Ait enim in

eo

(a) *1. Machab. 1. 12. 13.* (b) *Jerem. 44. 16 - 18.* (c) *Esther 8. 1. seqq.*

eo libro Socrates: (a) „ quædam gens ultra Rhenum fluvium est Burgundiorum. Isti vitam quietam agunt, & pæne omnes fabri lignorum sunt; ex qua mercede paucuntur: quorum regionem Hunni crebra invasione vastabant, & plurimos occidebant. At illi, licet anxietate constricti, ad nullum se tamen hominem contulerunt, sed alicui Deo se committere cogitabant. Tum audientes, quod Romanorum Deus fortiter adjuvaret se timentes, omnes communi consilio ad credulitatem Christi confugiunt. Qui sumpta fiducia contra tyrannos alacriter festinabant, & spe sua frustrati non sunt. „ Hactenus Socrates.

Quum igitur hæc fuerit fere semper vulgarium hominum, ac præcipue Gentilium sententia, dicere utique illi eo tempore nostris poterant: si Christus, quem vos confitemini, verus Deus, & cæli ac terræ dominus est, si in ejus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum; vos autem tanta illum fide, obedientia & religione colitis, ut prius omnia tormentorum genera per-

Tom. III.

(a) *Lib. XII. cap. 4.*

peti, quam ab illius fide & cultu discedere malitis: quomodo is, pro eo ac vestra fides meretur, non magnificentissimis vos præmiis afficit; contraque, quomodo non atrocissimos nominis sui hostes, ac religionis suæ eversores, exquisitis suppliciis mactat & perdit? Tantum vero abest, ut hoc faciat, ut juratissimi ejus hostes opibus, imperio, & rerum omnium abundantia floeant: vos vero, innumeris laboribus & ærumnis confecti, acerbissimam vitam in luctu & squalore semper agatis, & omnibus hominibus invisî, nullum satis tutum ad latendum locum invenire valeatis; ac postremo atrocissimis & inauditis ex hominum memoria supplicii miserrimam vitam finiatis: sic ut calamitosa vita, morte multo acerbior, finiatur. Quis enim terrenorum regum homines fidei suæ commissos, & ob ejus fidem variis calamitatibus a finitimis hostibus oppressos, deserat; ac non potius arma moveat, & ferro ac flamma servorum civiumque suorum injurias ulciscatur? Quo modo igitur Deus vester neque vobis spem aliquam salutis ostendit, & religionis suæ eversores non modo impunitos

T

re-